

## CONCIO XIII.

DE PENITENTIA NON DIFFERENDA.

*Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaia, 27, 9).*

Si hi, qui variis ligantur sceleribus, se nolle unquam poenitere dicerent, eo ipso se Deo nolle reconciliari, se infinitis æternæ beatitudinis gaudiis abrenuntiare, sequæ sempiternis inferni supplicii addici velle faterentur. Hac tamen ratione vix aliquem peccatorem invenire est, qui se poenitentiam agere nolle dicat: et quisque, suadente diabolo, dicere solet: *Poenitentiam agere intendo*, sed expectandum: *Poenitentia operibus incumbam*, sed nondum poenitendi tempus advenit. O quales poenitentes, qui poenitentiam agere volunt et nolunt: *volunt* imposterum et *nolunt* hodie. Clamat Deus, præsens tempus ad faciendam poenitentiam idoneum esse et opportunum: *Ecce nunc tempus acceptabile* (2 Cor. 6, 1); et hi statim poenitere nolunt, sed in futurum poenitentiam differre statuunt. Rogat Deus, ut poenitentiam non differant: *Non tardes converti ad Dominum* (Eccl. 5, 8); et hi non de prompte agenda, sed de differenda poenitentia cogitant. Peccatum per poenitentiam necessario auferendum esse sciunt: *Iste omnis fructus, aut auferatur peccatum*; et poenitentiam non suscipiunt, sed de die in diem protrahunt. Cumque eis dicimus, ut peccata sua per poenitentiam destruant, se excusant dicentes, *quod nondum alicui poenitendi tempus*. Hanc eorum excusationem impugnabimus probando, poenitentiam non esse differendam. Ave.

Si nossent peccatores, quanta lethalis peccati sit feditas, quanta eius malitia, quantaque sint damna, quæ animabus infert, nullus quidem apud se talem hospitem diversari pateretur, nullusque illud per poenitentiam delere vel minimum moraretur. Quia vero non satis nota detrimenta quæ a mortali

peccato causantur, aliqui usque ad mortem, ad multum temporis alii, alii in crastinum et de die in diem illud per poenitentiam delere differunt.

Aliqui quidem ita stolidi, ac in salutis suæ negotio ita segnēs sunt et inertes, ut usque ad mortem, seu usque ad vitæ suæ finem poenitere cunctentur. Cum insennero, inquam, instante jam morte, cum tempus ex hoc mundo proficiendi venerit, tunc prudentem et eruditum vocabo Confessarium, cui cuncta humiliter declarabo scelera; et accepta ejus absolutione, securus ex hoc mundo migrabo. Alii ad sex menses, ad unum annum, vel ad aliud longinquum tempus animæ suæ languores et lethales infirmitates moderi retardant. Et hi dicere solent: proximo Paschatis tempore, cum a Sanctissimo aliquis concedetur jubileus: cum de tali negotio me expediero, cum studiis finem fecero, cum uxorem duxero, tunc poenitentia operibus sedulo incumbam. Alii cunctantes poenitentiam procrastinant, et ad proximum diem opus conversionis et salutis semper amandant. Cras, aiunt: intra aliquot dies: prima occasione opportuna ea omnia adimplebo, quæ veri poenitenti sunt.

O quales dilationes! o quam periculosum et noxium, sic poenitentiam differre! Quod patebit ex concionis hujus contextu, qua probabimus, poenitentiam non esse differendam 1. Nec usque ad mortem: 2. Nec usque ad tempus longe distans: 3. Nec usque in diem crastinum.

## I PARS.

*Poenitentia non est differenda usque ad vitæ finem.*

Omnia tempus habent, et qualibet res suo tempore faciendæ; opportunum autem poenitentia tempus non est, cum quis, instante morte, gravi morbo laborat. Nam licet, absolute loquendo, tunc quis poenitere possit, ut patet exemplo latronis, qui *in cruce, et hora mortis rapuit veniam, invasit vitam, effre-*

git Paradisum, penetravit ad regnum (Chrys. ser. 167): difficillime tamen, rarissime et fere nunquam tunc vera fit penitentia; nam, ut asserit D. Augustinus, *vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*. Mille et centum mille sunt, qui dicunt, aut saltem intra se statuunt, tunc penitentiam agere, cum aegrotabunt ad mortem; tunc, aiunt in corde suo, tunc vitis ex toto corde abrenunciabimus, tunc salubri dolore et sincera confessione conscientiam purgabimus: tunc cuique sua restituemus, ac omnia veri Christiani munia adimplebimus. Sic sic in corde suo loqui solent peccatores; at sciunt, et tanquam certissimum supponant, quod *vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*.

Novi adolescentem, inquit Cesar Recupito, qui lascivis amoribus implicatus dicitabat, sibi satis fore ad salutem, si ante mortem unam aut alteram ad penitendum horam haberet; quia tunc perfecta contritionis actum eliceret, quo justificaretur, et salvus fieret. Infelix, cum quadam nocte post epulas ad solita sua scelera perpetranda pergeret, repentino lapsu contracta cervice, sine voce, sine sensu, ac nullo edito penitentiae signo misere obiit. Unum noverat pius ille Concionator, qui cum in vite vite penitere stauisset, subitanea morte raptus, penitendi tempus non habuit; quod autem uni accidisse narrat, hoc non uni dumtaxat, sed mille et centum millibus accidit, qui cum in vite vite penitentiam agere decrevissent, morte non praevisa praecipitanti optatum penitentiae tempus non habuerunt, ac impenitentes ex hoc mundo ad tartareos rogos aeternum cruciandi migrarunt. *Sed velim*, quod peccatores cum morte foedus inierint; *velim*, Deus iis pollicitum, se daturum penitendi tempus, nec illos subitanea morte praeveniturum; *velim* adhuc, quod cuique peccatori penitentiam usque ad mortem differenti miserit Deus Angelum, qui diurnam vitam, et non subitaneam mortem promiserit; erant ne ideo de penitentia in fine vite facienda securi? Nulla quidem securitas; quia *vix ex centum millibus hominum, quo-*

*rum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus*.

Unum quidem latronem in vite vite fine penitentiam egisse ac aeternam beatitudinem consecutum esse legimus: sed qua, quaso, die? *ea certe die*, qua Christus in cruce moritur; *ea die*, qua universalis totius mundi Jubilaeus celebratur; *ea die*, qua redemptionis nostrae pretium tam prodigne persolvitur; *ea die*, qua cataractae coeli, et abyssi divinae clementiae aperte sunt; *ea die*, qua fontes omnes gratiarum, et misericordiae Dei undique scaturiunt; *ea die*, qua omnia iustitiae divinae tela recondita, et in unum Jesum reflexa; *ea die*, qua juxta crucem Dei Genetrix pro eo orasse creditur; hac, inquam, die penitentiam egit ille latro, ac audire meruit: *meum eris in Paradiso*. Verum quando occurreret dies huic similis? Numquam. Quandonam alius quidam peccator, qui usque ad vite finem penitentiam distulerit, eam in vite vite agere? Nescio. In sacra enim Scriptura nullum alium veram in vite vite penitentiam egisse legimus: *Si bene memini, in toto canone Scripturarum unum latronem sic salvatum legimus* (S. Bern., serm. 3 de pare.). Verum est, quod in fine vite penitentia fieri possit, quodque latro eam in fine vite fecerit; sed *da mihi alium latronem*, inquit D. Augustinus; da mihi alios, qui cum in statu peccati usque ad mortem perseverare voluerint, tunc veram penitentiam egerint; certe vix alius inveniri posset: et ex centum millibus, qui penitentiam usque ad mortem differant, vix unus tunc indulgentiam obtinet. Hoc quidem terribile: verissimum tamen; nam licet certum esset, Deum in fine vite penitendi tempus omnibus largiri, quo nihil incertius, quis promisit peccatoribus indignis et contumacibus, qui toties divinis inspirationibus restiterunt, qui pretiosum Christi Sanguinem conculcarunt, qui sancta Concionatorum monita pluries contempserunt, et qui in pessima vita sua pertinaciter perseverarunt; quis, inquam, iis ex parte Dei promisit, quod in fine vite gratiam habebunt, qua auxiliante penitentiam debite agent? nullus. Esto autem, quod in fine vite et tempore et gratia non careant: quis eis pollicitus

est, quod et hoc tempore, et hac gratia bene utentur, quodque tunc veram poenitentiam agent? nullus. Et fere impossibile est, quod tunc vere et debite poenitentiam agant; *Tum* quia tunc ægritudinis dolores mentem præoccupant, *tum* quia habitus pravi, quos contraxerunt, alio voluntatem rapiunt, *tum* quia tunc male officiosi parentes non parum obstant, *tum* quia tunc dæmones validius tentant, *tum* quia in negligentia suæ poenam, qui sine poenitentia in hoc mundo vivere voluerunt, sine poenitentia ex hoc mundo exeant. Tempus et gratiam in fine vite dabit tibi Deus, inquis, o peccator, o utinam sic fiat! et supponamus, quod sic fiat: quid inde? ergo, inquis, tunc poenitentiam agam: o pessimam consequentiam! Si inferres: ergo tunc poenitentiam agere potero, hoc facile concederem; sed inde infer: ergo tunc poenitentiam agam? bona et legitima non est hæc consequentia. Nam licet tunc tempus et gratiam sis habiturus; poenitere tamen tibi difficillimum, et fere impossibile erit: quia tunc salutis tuæ invigilare, et ea quæ salutis tuæ sunt, cogitare vix poteris: ut enim ait D. Hieronymus, *dum infirmitate opprimeris, nihil aliud potes cogitare quam quod sentis*. Tunc non mente resolves quanta sit peccati tui malitia, quanta majestas Dei quem offendisti, quanta supplicia quæ meruisti: tunc non cogitabis de delendo peccato, de placando Deo, de vitando inferno; sed totus eris doloribus quos patieris: tunc tibi difficillimum et quasi impossibile erit veram poenitentiam agere; quia solummodo cogitabis, qua arte dolores lenire, curare morbum, et pristina sanitati restituì valeas: *Difficile est ut vera sit poenitentia, quæ sera venit; quia dolor sensum opprimit, ut tunc vix homo valeat de ea cogitare* (Magister Sent. 4, d. 20).

Demus etiam, te in fine vite nimis doloribus non fore gravatum, ac vere posse de poenitentia agenda cogitare: quid tunc parentes et consanguinei? Nonne hi infensissimi erunt animæ tuæ hostes? hi sane erunt inimici domestici, qui te, ne poenitentiam agas, impediunt. Hi tabellionem potius quam parocum, medicum quam prudentem Confessarium vocabunt. Hi non de animæ, sed de corporis sanitate erunt solliciti: hi de

temporaneis tuis facultatibus occupandis, quam de æternis divitiis tibi conciliandis magis curabunt. Ex his aliqui de pristina valetudine te certum faciunt; alii dicent non admittendum Confessarium, ne mortis timor vitam tibi eripiat. Si admittatur Confessarius, hæc adhibetur cautio, quod scilicet de confessione, et aliorum sacramentorum receptione non loquatur. Si tandem ad poenitentium et ad christiane moriendum te hortetur Confessarius, ululabit uxor, in lacrymas prorumpent filii, clamabunt domestici, insurgent creditores ac ita ubique conturbaberis, ut difficillimum futurum tibi sit, de poenitentia cogitare; et sic miser decipieris, ac ad tartara præceps detruderis. Hoc ita fieri solet, ut ipsa docet experientia; et ut advertit D. Augustinus, *Quem morbus urget et poena terret, ad veram viam veniet satisfactionem, maxime cum uxor et mundus ad se vocent. Multos enim solet serotina poenitentia decipere* (*De Poen.* d. 7. c. Nullus).

Quid vero tunc diabolus? otiosus ne erit? tuncne tibi dabit inducias? Tunc *descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* (Apoc. 12). Tunc circuit, ut te devoret; tunc insidiabitur ut leo in spelunca sua; tunc insidiabitur, ut te ad tartara rapiat: *Insidiatur, ut rapiat pauperem* (Psal. 9). Tunc tot parabit insidias; tunc tot tendet laqueos, ut eos evadere, ab iis te extricare, et veram poenitentiam agere tibi difficillimum futurum sit. Hæc omnia, inquis, fieri possent, et sic fieri solent; sed, Deo dante, cum instabit mors, de doloribus, de parentibus, de tartareis legionibus triumphabo, et poenitentiam agam; de his omnibus triumphabis? de hoc dubito: poenitentiam ages? de hoc magis dubito. Sed te tunc poenitentiam acturum concedamus; quæ, quæso, hæc erit poenitentia? eritne vera et legitima? nescio: tuane delebit scelera? nescio. Ut enim ait divus Chrysostomus: *Qui prave vivendo poenitentiam agit in mortis articulo: sicut ejus damnatio incerta est, sic remissio dubia*. Et ut loquitur D. Augustinus, « si quis postus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere poenitentiam, et accipit, et hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit: sed

non præsumimus affirmare, quod hinc bene exit: non præsumo, non vos fallo. Fidelis bene vivens securus hinc exit: baptizatus ad horam securus hinc exit: *agens penitentiam ad ultimum reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus*. Et alibi idem Augustinus, penitentiam quæ ab infirmo ad mortem properante fit, non solum debiam, verum et morientem, ac etiam mortuam vocat: *Penitentia, quæ ab infirmo petitur infirma est; penitentia, quæ a moriente petitur, timeo ne et ipsa moriatur* (Serm. 57 de Temp.). Die ergo jam, quæ tua tunc erit penitential! eritne omnibus numeris perfecta? eritne efficax ad tua delenda crimina? timeo, et valde cum sanctis Patribus timeo, ne penitentia hæc sit inefficax, ne sit moriens, mortua, et nulla. Vide, quæ et qualis exiterit Antiochi penitentia. Postquam percussit eum Deus insanabili et invisibili plaga; cum nec ipse jam fetorem suum ferre posset, confessus est, justum ac aequitati consonum, quod ipse voluntati Dei obtemperaret: *justum est subditum esse Deo* (2 Machab. 9, 12). Deinde quatuor notatu digna Deo pollicitus est: *primum*, se Judeos, quos odio maximo persecutus erat, non minus amaturum, quam Athenienses; *secundum*, se templum sanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum; *tertium*, Judæum se futurum; *quartum*, se omnem locum terræ perambulaturum, et prædicaturum Dei potestatem. Ecce hominem, saltem quoad ea quæ exterius apparent, vere penitentem: ejus tamen penitentia falsa et inutilis fuit, quæ a Deo gratiam et misericordiam obtinere non valuit. Ut enim ait Sacra Scriptura: *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecutus*. Oravit, clamavit, variosque veri penitentis actus fecisse videtur Antiochus; falsa tamen, inefficax, et nulla ejus fuit penitentia.

Talis haud dubie tua erit penitentia, si eam usque ad vitæ terminum differas; et talis esse solet penitentia illorum, qui postquam male et impie vixerunt, in morte multa penitentia signa præseferunt. Videmus nonnunquam inveteratos peccatores, qui appropinquante mortis hora, Confessarium vocant, ut ei

miserum conscientie suæ statum aperiant; qui varia in favorem pauperum et Ecclesiarum legata faciunt; qui Christi crucifixi effigiem ardentem amplexantur, et humiliter osculantur; qui frequenter pectus tundunt, et alia multa his similia penitentia signa edunt. Mirantur quotquot talia cernunt: et mortuo aliquo ex hujusmodi penitentibus, dicunt ad invicem: o præclaram mortem! o quam felix ille homo, qui cum male vixisset, pie et religiose mortuus est! Sed, o quam fallacia et falsa hominum judicia! Verum est, hanc mortem, quoad formam externam esse præclaram; an vero bona sit, et pretiosa in conspectu Domini, valde dubium est. Quoad ea quæ videmus, hic homo pie mortuus est; atamen timendum, ne ejus, sicut et Antiochi, penitentia nulla sit et mortua: *Penitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; penitentia, quæ a moriente petitur, timeo ne et ipsa moriatur*. Quare penitentia non est differenda usque ad vitæ finem; *nec etiam ad tempus longe distans.*

## II PARS.

*Penitentia non est differenda ad tempus longe distans.*

*Viri Niniivitæ*, inquit Christus, *surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia penitentiam egerunt in predicatione Jonæ*. Varias ob rationes pravam multorum peccatorum generationem damnabunt Niniivitæ; sed præcipue quia mox ut Jonæ prædicationem audierunt, absque ulla mora severam penitentiam susceperunt. Dicere potaissent: Deus misericors est, et misericordie ejus non est finis; ac proinde indulgebis nobis in quacunque die ingemuerimus; ideo cum quadraginta dies usque ad urbis nostræ subversionem superesse dixerit, possumus triginta et novem diebus luxui indulgere, voluptatibus vacare, in vitiis perseverare, et ultimo die, penitentia operam dabimus, ac Deum adversus nos iratum placabimus. Sic loqui poterant; sed non sic locuti sunt Niniivitæ: quin contra, audito

Propheta, mox Dei misericordiam imploravit, statim penitentiam inchoavit, et nullo modo eam in futurum distulerunt. Sapientes quidem hi: e contra o quam insipientes peccatores multi; qui cum pluries vocem Domini intus loquentis, ac etiam multas Concionatorum prædicationes audierint, penitentiam tamen suscipere nolunt, eamque in futurum differunt! Postquam ætatis nostræ flos emaruerit, ait unus: cum susceptæ litis finem fecero, dicit alius: cum familie consulero, inquit iste: cum in-senuero, ait ille: tempore Quadragesimæ proximo, vel intra aliquos menses, dicunt alii, tunc de penitentia facienda serio cogitabimus. Insipientes sane hi omnes, qui cum de anima, et de æterna salute agatur, penitentiam differunt ad tempus futurum, quod forte nusquam videbunt. *Cogita*, inquit Chrysostomus, *quod de anima deliberas*: non de vinea, non de villa, sed *de anima* agitur; quæ, nisi penitentiam egeris, salvari nequit: penitentia non ergo est differenda ad diuturnum quod an sis habiturus, incertum est; sed prompte cum Ninivitis est facienda.

Thebanorum Imperium vi et arte invasit Archias: quod cum ægre ferrent Athenienses, ex his nonnulli novo regi vitam auferre statuerunt (Plutarch. *De genio Lacerat.*). Quadam autem die, cum Archias lautam suis comam parasset, in qua omnia luxu et deliciis distillabant: ecce nuntius adest ab aliquo ex fidelioribus amicis eius missus, qui epistolam defert, ac regem rogat, ut eam protinus legat; quia non nugas, sed *seria* continet. Epistolam accepit Archias; sed nuntii monitum parvipendens, epistolam nec aperire voluit; cumque ad eam legendam urgeretur a nuntio, dicente eam *seria* continere; imprudenter respondit: *seria in crastinum*. At crastina dies non est illi concessa, quia illa ipsa nocte a conjuratis est occisus. O quam imprudens in hoc casu fuit Archias; verum o quam imprudentiores, qui penitentiam in futurum differunt! In deliciis multis vivunt, gravibusque peccatis animam suam coinquinare non desinunt: cumque prædicatores, vel confessarii, ut missi a Deo nuntii, penitentiam prompte faciendam eis denuntiant, quia demones in eos conspiraverunt; seria hæc non in cra-

stinum solum, verum et ad menses, ad annum, ad plures annos, et quandoque usque ad senectutem differunt: et interim repentina supervenit mors, quæ illis vitam et penitendi tempus auferit. O qualem stultitiam! *Quam multi*, inquit Arelatensis Antistes, *se credebant longo tempore victuros, et ita illos mors repentina subtraxit, ut nec ad illam momentaneam potuerint penitentiam pervenire* (Cæsar. hom. 13). Multi quidem et innumeri, longam sibi promittentes vitam, penitentiam in futurum distulerunt, et repentina morte ita preoccupati sunt, ut nec unicum temporis momentum ad penitentiam agendam iis datum sit. Equidem insipientissimi, qui penitentiam in futurum differunt. Mirum in modum argumentatur Antiochenus Præsul, ut probet, maximam esse cecitatem et stultitiam hominum, qui cum promptissime omnibus corporis necessitatibus subvenire conentur, ea quæ ad animam spectant, vel minimum curant, et in futurum dimittunt (Chrysost. *De compunct.*). Si forte, inquit, parum aliquid morbi corpus pulsaverit, statim et medicos adhibemus, et pecuniam profundimus, et omni observantia, quod convenit agimus: nec prius cessatur, quam quæ molesta sunt, mitigentur: *Anima vero cum quotidie infirmetur, et vulneretur, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat*. Si, ait idem Doctor, repentinum in domo tua exoriatur incendium, protinus clamatur, concursatur, auxiliares manus implorantur, undique defertur aqua; laboratur, sudatur, donec accensus prorsus extingatur ignis: anima vero cum libidinibus, iracundiæ, et vindictæ flammis uritur, non ad fontes Salvatoris, non ad Sacramenta prompte concurritur: *Anima vero cum quotidie uratur, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat*. Si puer in profluentem fluvium præceps ruat, clamat pater, plorat mater, quantocius advolant qui eum eripere valeant: anima vero cum in omnium scelerum abyssum præcipitatur, pauci ad eam inde eripiendam prompte currant, et multi ad eam inde mediante penitentia extrahendam, ad tempus longinquum differunt: *Anima vero cum quotidie præcipietur, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat*. Si navis pretiosis Indiæ mercibus opulenta

rimas agat, quanta hic nautarum solertia, quam strenue aqua diu noctuque hauritur et ejicitur, quanto studio et labore obturantur rimae, ne navis pereat: *Anima vero cum omnibus modis pereat; ne prava quidem pro ea nos cura sollicitat.* O portentosam hominum caecitatem et stultitiam, qui cum in temporalibus necessitatibus sint fervidi et promptissimi; tardo et lento gradu ad penitentiam currunt, quae ad curanda animae vulnera, ad extinguendas vitiorum ejus flammæ, et ad eam salvandam absolute necessaria est.

Hujusmodi impiorum qui penitentiam in futurum differunt, caecitatem defleo; quæ quidem magna est, non solum quia penitentiam differunt ad tempus illud, quod an sint habituri maxime incertum est: nec solum etiam, quia de temporalibus plurimum, et de anima parum sunt solliciti: verum et quia per hanc penitentiam in futurum dilationem multorum magnam bonorum jacturam faciunt. Licet enim multa opera moraliter bona facere possint; quamdiu tamen in statu peccati mortalis morantur, et pontere differunt, nec minimum opus æternæ gloriæ meritorium facere possunt, quia ut ait D. Augustinus, *sine gratia Dei nullum prorsus, sive volendo, sive agendo faciunt homines bonum.* Quamdiu anima tua mortali aliqua macula inquinata est, si facultates in eleemosynas effundas, hoc non est meritorium; si jejunis corpus affligas, hoc non est meritorium; si orationi diu noctuque vaces, hoc non est meritorium; hæc quidem, et alia his similia bona sunt, et peccatoribus utilia; non tamen æternæ felicitatis meritoria: quia in statu gratiæ hi non sunt, et *sine gratia Dei nullum prorsus, sive volendo, sive agendo faciunt homines bonum.* Posses singulis momentis opera meritoria agere: si autem penitentiam ad annum, aut ad multos annos differas, toto hoc tempore nil sempiternæ beatitudinis meritorium facies. O qualem jacturam! quæ quidem peccatores omnes a penitentia in futurum differenda arcere deberet. Aliud autem urgens est motivum, quo ad penitentiam prompte agendam, eamque in futurum non differendam maxime stimulari debent peccatores, nempe quia si illam in futurum differant, in nova sce-

lera infallibiliter incident. Si penitentiam tuam ad festa Paschalia, ad sex, octo, vel plures menses differas, in plurima crimina cades; quia, ut ait D. Gregorius, *peccatum quod per penitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit* (2 Mor. 9). Esto, quod unico nunc inquieris mortali peccato, si illud ad multum tempus per penitentiam delere differas, ab illo in alia traheris, et quo magis penitentiam agere tardabis, eo pluribus peccatis inquinaberis. Quod ita fiet, *sive* quia in negligentia tuæ poenam minus efficaces tibi Deus gratias largietur; *sive* quia te a demonibus gravius tentari sinet: *sive* quia habitus pravi in te altius radicabuntur, et te fortius ad malum trahent: ne igitur longam ad conversionem moram nectas, quinimo ad eam quam citissime poteris, inouandam te prepara. Tacere non possum aliud motivum, quo non parium concitari debent peccatores ad penitentiam in tempus longe distans non differendam, quod desumo ex difficultate quam experiuntur, qui illam sic differunt: quo enim diutius tardant, eo difficilius, majorique cum labore ad eam suscipiendam se accingunt. Certe *qui non est hodie, cras minus aptus erit*, qui hodie a facienda penitentia abhorret, cras magis, intra annum longe magis, et quo plus eam facere tardabit eo magis ab ea facienda abhorrebit. Si enim aliquem nunc penitentiam facere tædet; cum paucis costringitur sceleribus, patet, quod magis eum pontere tædebit in futuro, cum pluribus sceleribus constringetur. Unde qui penitentiam in futurum differunt, hericio similes merito dicuntur. Hericus gravidus, ut refert Piorius, a spinoso cum dolore pariat, quo diutius parere tardat: *alco stimulata, quamdiu potest partum differt, quo fit, ut fetus magis inolescens, majorem postmodum in pariendo dolorem afferat.* Ecce veram peccatoris penitentiam in futurum dimittentis effigiem; eo enim graviore patitur dolores, quo diutius salutaris penitentiae fructus producere moratur. Hæc est gravis poena, qua Deus in hoc mundo animam peccatricem plectit: et ideo asserit, se eam in posses-

sionem hericii positurum: *ponam eam in possessionem hericii* (Isa. 14, 23); in possessionem enim hericii ponuntur, et hericio similes fiunt, qui poenitentiam in futurum differunt. Peccata quibus inquinatur, sunt veluti fetus spinosus, quo intus pungitur, stimulat, et lancinatur eorum conscientia: illi autem semper magis et magis poenitere et parere differunt: sed quo magis tardant, eo acrius stimulantur, eo difficilius poenitentiam agunt, et foetum suum emittunt. Cum peccatori dicimus, ut inimico indulgeat, aliena restituat, pravos eradiceat habitus et a pessima vivendi ratione discedat, acutis intus pungitur spinis, quae eum ab his foetibus pariendis, et a poenitentia generose suscipienda impediunt, quo vero magis haec agere morabitur, eo acutioribus et acrioribus pungetur spinis, eoque difficilius poenitentiam sectabitur. Propterea in tempus longe distans poenitentia non est differenda: *nec est etiam differenda in crastinum, et de die in diem.*

### III PARS.

#### *Poenitentia non est differenda in diem crastinum.*

Sigismundus II, Poloniae rex, ob nimiam lentitudinem et segnitiam in gravissimis quibusque gerendis negotiis, quorum executionem procrastinare solitus erat, *rex crastinus* vocatus est. Multos huiusmodi crastinos viros habemus, eos scilicet, qui in crastinum, et de die in diem ad Deum converti, et poenitentiam agere differunt. Crastinus erat, et in crastinum poenitentiam differere vir ille nobilis, Chrysaorius nomine, superbia tumidus, carnis suae voluptatibus deditus, avaritiae facibus accensus, de quo narrat S. Gregorius, quod cum enormibus ejus criminibus finem Deus ponere decrevisset, corporis languore percussus est. Qui ad extremum veniens, eadem hora, qua jam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros, et nigerrimos spiritus coram se assistere, qui eum ad inferni claustra rapere minabantur. Coepit tremere, pallescere, sudare,

et magnis vocibus inducias petere, filiumque suum nomine Maximum minis et turbatis clamoribus vocare. Turbatus mox Maximus adfuit, lugens et perstrepens familia convenit. Qui autem adstabant, malignos spiritus videre non poterant; sed eorum praesentiam in confusione, in pallore, ac tremore illius qui trahebatur, videbant. Pavore autem tetra eorum imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo, jacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat; vertebatur ad parietem, ibi aderant. Cumque constrictus nimis relaxari se jam posse desperaret, coepit magnis vocibus clamare, dicens: *inducias vel usque mane, inducias usque mane.* Dum autem haec clamaret, in ipsis suis vocibus de habitaculo suae carnis evulsus est.

Inducias usque mane petit ille, et ut subdit S. Gregorius, *inducias quas petit, non accepit.* Inducias usque mane similiter petunt multi, qui tales inducias non obtinent; de die in diem conversionem suam differunt, cras, inquit, convertar ad Dominum; et saepissime non datur illis crastina haec dies, in qua converti velint et possint. O quot videmus, qui cunctando, et poenitentiam procrastinando diutius, vixerunt; cum autem gravi morbo corripiantur, si dicamus eis, ut animae et saluti consulat, ut convertantur ad Dominum qui benignus et misericors est; hi qui *cras* dicere soliti erant, *cras* adhuc dicunt: nondum paratus sum, aiunt, sed *cras* quae numeris Christiani sunt adimplebo. Si instemus, dicentes, morbum esse gravem, urgere tempus; nec differendam poenitentiam in tempus incertum, cum jam fieri possit; respondent semper: *cras, cras* hoc fiet; inducias petunt usque mane, et saepissime tales inducias non obtinent: sed morte subita correpti a daemonibus simul cum Chrysaorio ad tartara aeternum cruciandi trahuntur. O qualem stultitiam, sic poenitentiam differre in diem crastinum, ejus non sumus domini, et quem an visuri, ac habituri simus, ignoramus. *Quam stultum est etatem disponere! ne crastino quidem dominamur* (Senec. ep. 105). Praesunt peccatores miseri, quod die crastina vivant, quodque in ea vero poenitentiam sint acturi; sed advertere debent, quod forte antequam veniat dies crastina, e visis excedent.

Non enim sunt domini diei crastine, quam Deus dare et denegare potest, prout libuerit: *quid de futuro miser presumis, tanquam Pater tempora et momenta in tua, et non magis in sua posuerit potestate?* (D. Bern. ser. 38 de parv.) Die, quæso, o peccator, quo in Sacre Scripturæ libro, quo in capite diem crastinum tibi Deus pollicitus est? Scimus eum peccatori veniam promississe ea die, qua penitentiam debite egerit: Verum, ut ait S. Gregorius: *qui penitentiam veniam spondidit, peccanti diem crastinum non promisit.* Et ideo D. Augustinus peccatores hortatur, ut penitentiam in crastinum non differant: utpote quia Deus nunquam eis diem crastinum promisit: *Ne differas de die in diem: promisit tibi Deus, quod qua die conversus fueris obliviscetur mala tua; sed nunquam tibi vitam crastinæ diei promisit.* Quam stulti ergo, qui penitentiam in crastinum differunt! quasi diei crastinæ essent certi et domini; *quam stultum est etatem disponere! ne crastino quidem dominantur.*

Crastinum diem peccatori nunquam pollicitus est Deus, et crastinum diem ei semper pollicetur diabolus: intus ei semper inspirat, penitentiam in futurum, et saltem in crastinum esse differendam; *cras, cras penitebis*, ait peccatori satanas. Hic est teterimus ortus et tartaro corvus, qui in fenestra, seu in corde peccatoris cantat, *vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari* (Soph. 2, 14). Quid ibi cantat ille corvus? ait ne peccatori, penitentiam esse jam jam faciendam, nec in crastinum differendam? hæc eius non est cantilena: non tam suaviter et salubriter canit; voce sua solummodo crocicare novit, nil aliud in corde peccatoris clamat, nisi *cras, cras penitebis, vox cantantis in aure cordis*, inquit Eminētissimus simul et Doctissimus Cardinalis de Viatrici, *vox corvina est, vox diaboli, qui clamat: cras, cras penitebis* (Serm. in Dom. 17 post Pent.). Veterat satanas in corde peccatorum non statim cantat, penitentiam, nunquam esse agendam; non enim ei facile crederent, eaque forte illos terreret cantilena. Quid ergo peccatori satanas? ei dicere solet, penitentiam quidem esse faciendam, sed in futurum, saltem in crastinum esse differendam,

peccatori ait demon, *hodie mihi, cras Deo* (D. Augustin.). Hodie deliciis affluas, hodie in vitorum tuorum cœno voluteris, hodie in via tua pessima ambules, cras vero penitentiam ages: ecce vocem corvinam, ecce corvum peccatori cantantem, *cras, cras penitebis*, ecce quomodo peccatores a penitentia agenda avertit, et ad tartara trahit. O quam multi hæc voce, *cras, dementantur*, ab agenda penitentia revocantur, spiritualiter occiduntur, a Paradiso excluduntur! *Ipsa res est quæ multos occidit, dum dicunt, cras, et subito ostium clauditur* (Aug., ser. 17 de verb. D.). *Cras* ait satanas, et *cras* ait peccator, *cras* ages penitentiam, dicit satanas, et *cras* penitentiam agam, inquit peccator. Quasi corvus est satanas, qui peccatori dicere non desinit, *cras, cras*, et quasi corvus est peccator, qui dicit *cras, cras*, ut enim ait Augustinus: *Ecce quoties dicis cras, cras, factus es corvus.* Quid autem accidit peccatori penitentiam in crastinum differenti, et instar corvorum, *cras, cras* dicenti? *Ecce dica tibi, dum facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina* (Ibid.). Certe peccatoribus *cras cras* dicentibus, et penitentiam procrastinantibus, maxima imminet ruina, impenitentes enim haud dubie ex hoc mundo exibunt, et ad æternos tartari rogos præcipitabuntur. Quapropter de die in diem converti ne differas, potius hodie, jam jam, absque ulla mora et cunctatione convertere ad Dominum Deum tuum, actum veræ contritionis eliciendo, et deinde quamprimum poteris, ad Confessarium advola, tua ei humiliter declara scelera, eaque omnia quæ veri penitentis sunt, sedulo adimple. *Non tardes converti ad Dominum*, non tardes usque ad mortem, non ad tempus longinquum, non in crastinum, quia si sic converti et penitere differas, qua hora non putabis subitanea morte corripieris, et ad æterna supplicia damnaberis. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te* (Eccli. 5, 8-9).

Tardavit aliquandiu converti ad Dominum D. Augustinus, et in tempore conversionis, cum Dei inspirationibus ad abrenunciandum vitæ suæ pessimæ urgeretur, adhuc conversionem



suam differre volebat. Similis eram, inquit, homini, qui a somno excitatur, qui nonnisi verba somnolenta profert: *non erat omnino quid responderem tibi, nisi verba lenta et somnolenta, modo, et ecce modo, sine paululum; sed modo et modo non habebat modum; et sine paululum ibat in longum.* Semper Deo vocanti respondebat Augustinus: *modo et modo, sine paululum;* et sic suam semper in futurum differebat conversionem. Tandem a gravi hoc somno plene excitatus, dilationibus his finem fecit clamans: *quamdiu eras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis mee?* et sic generose ad Deum toto corde conversus est. O peccator, a multo tempore te Deo ad poenitentiam vocat, et ei forte usque nunc respondisti cum Augustino: *modo, modo; eras, eras; sine paululum, sine paululum;* et tu tandem sanctissimum hunc imitare Doctorem; dic cum illo, et intus dic: *quamdiu eras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis mee?* ne amplius tuam procrastines conversionem; sed hodie, hac ipsa hora convertere ad Dominum Deum tuum finemque turpitudinibus tuis facito. Veteri lege sancitum erat, ut si Nazareii viso mortuo polluerentur, *illico in eadem die* ab hac macula purgarentur (Num. 6, 9). Per Baptismum Nazareii facti, et Deo consecrati sumus omnes: propterea a maculis peccatorum purgari non differamus in crastinum; sed prompte, *illico, eadem die,* ab his per poenitentiam animam nostram totaliter purgemus. *Beatus vir,* inquit Vates regius, *qui in cathedra pestilentia non sedit;* in cathedra pestilentia non sedeamus; in statu peccati mortalis non immoremur; sed prompte, jam, absque ulla mora et dilatione a qualibet lethali noxa animas nostras purgemus; et in celo aliquando beati erimus. Amen.

## CONCIO XIV.

DE RESTITUTIONE.

*Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaia 27).*

Non in Oceano solum inveniuntur pyratae; totus enim mundus est quasi mare variis tempestatibus agitatum, in quo innumeri sunt pyratae et praedones, qui vi, dolis, et omnibus viis aliorum facultates diripiunt. Praedones suos habent oppida et civitates, imo et in qualibet civitate tot fere sunt praedonum genera, quot varii civium status: *praedones* reperiuntur inter magistratos, *praedones* inter mercatores, *praedones* inter caupones et propolas, *praedones* inter magistros et famulos, *praedones* et fures in omnibus statibus et conditionibus hominum, in quibus non desunt qui dolose aliorum bona suffurentur: *A minore usque ad majorem omnes avaritiae student; et a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum* (Jer. 13). O quam multi in mundo avari! quam multi aliena iniuste auferunt! at vero o quam pauci ablata restitunt! Nihil dulcius quam pupillarum et viduarum sanguinem sugere: nihil suavius, quam ex pauperum substantia se impinguare; nil gratius, quam divitias addere; cum autem de iis restituendis agitur, *ibi dolores, ut parturientis;* nullus enim male acquisita restituere vult, et vix reperitur aliquis, qui vanas, et saepe ridiculas excusationes non adducat, ut sibi et Confessariis suadere conetur, se ad restitutionem non teneri. Defectus hic restitutionis in causa est, cur innumeri in statu peccati vivant et pereant, quare ut ad destruenda eorum peccata efficaciter laboremus, vanas eorum excusationes impugnabimus, eosque ad restituenda aliena pro viribus adducere contendemus. *Ace.*

Ex his qui aliena iniuste detinent, aliqui restituere possunt et nolunt, alii restituere volunt, sed non cito; et alii restituere

volunt cito, sed non omnia. Qui nolunt restituere, dicere solent: *non possum*. Qui restituere volunt, sed non cito, dicunt: *reddam*. Qui restituere nolunt omnia, dicunt: *nihil ultra debeo*. Non sic loquebatur Zachæus: cum enim se alterius bona retinere advertibat, non dicebat: restituere non possum; ast ea reddebat; *Si quid autem defraudavi, reddo* (Luc. 19). Non dicebat etiam, reddam intra sex, vel decem annos, imo statim reddebat; *reddo*. Non tandem dicebat, se partem eorum quæ retinebat, redditurum; sed omnia ablata, ac etiam plura restituebat: *reddo quadruplum*.

Ece exemplar, quod omnibus alienorum bonorum detentoribus imitandum proponitur: imitandus Zachæus statura pusillus, et virtute magnus. Ut enim jam probabimus, omnes qui liena retinent, et ea propriis dominis reddere possunt, tenentur ea restituere de facto, restituere cito, restituere totaliter. Aliena 1. sunt restituenda; 2. sunt restituenda cito; 3. sunt restituenda totaliter.

### I PARS.

#### *Aliena sunt restituenda.*

Aurum et argentum, quæ David *simulacra gentium* nuncupat, sunt idola, quæ plerique adorant. Et sicut olim Gentiles deos stricte ligabant, quos vi vel fraude ab hostibus eriperant, ne forte avolarent, vel a propriis dominis iterum auferrentur: ita et qui aliena rapuerunt, ea concupiscentiæ suæ vinculis sibi alligant, tantoque affectu illa detinent, ut vix inveniatur qui aliena restituat. At, velint nolint, restituendum est, quia Deus, natura, sancti Patres, omnesque penitus catholici Doctores clamant, quicunque aliena detinet, ad ea reddenda teneri, nisi impossibilitas reddendi excuset: nec enim alia haberi potest ratio non restituendi, quam defectus potestatis. Tempore divi Augustini, peccatores nonnulli peccata sibi remitti posse arbitrabantur, licet aliena non restituerent, qua de

re Augustino cum scripsisset Macedonius, respondit Hypponensis Præsul, totamque litem terminavit præclaris hisce verbis, quæ in sacro Canone referuntur, quæ in Theologiæ scholis tamquam dogma infallibile recipiuntur, et quæ in cathedris toties a Concionatoribus geminantur. Respondit, inquam: *Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur: si autem veraciter agatur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Fateris, o peccator, te ad pinguem fortunam injusto lucro pervenisse; te grave damnum proximo, vi, fraude, consilio, vel auxilio intulisse; aliena a pluribus annis detinere, et quia stimulat conscientia, vel quia tremenda Dei judicia pertimescis, coram Confessario in sacra exomologesi dicis: Peccavi, defraudavi, injuste egi, facti me pœnitet. Hæc quidem bona et laudanda sunt, modo ablata restitutas; nam si restituere recuses, hæc tua pœnitentia non vera, sed ficta est; potiusque est phantasma, et larva pœnitentiæ, quam vera pœnitentia; quia *si res aliena, cum reddi possit, non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur*. Etiamsi singulis diebus sacrosancto Missæ sacrificio decenter intersis, diebus sabbati et veneris jejunes, carnem diro cilicio domes, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum frequenter recipias, largas elemosynas in sinu pauperum abscondas, coram Confessario pectus tundas, torrentem lachrymarum fundas, ac in confessione omnia et singula tua peccata fideliter aperias; si aliena restituere possis, et non restitutas, hæc omnia parum tibi proderunt, nec peccata tua delebunt, quia *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*.

Qui proximi bona abstulit, duplici obligatione constrictus remanet: *una*, respectu Dei, cui satisfacere tenetur ob injuriam majestati ejus irrogatam; *alia*, respectu proximi, cui satisfacere debet, ob bona quæ ab eo sustulit, et damna quæ ei intulit. Jamvero duæ hæc obligationes tanto junguntur fœdere, ut Deo satisfieri nequeat, quin et proximo satisfiat. Vis placare Deum adversus te iratum ob furta, usuras, iniquos contractus, fraudes et dolos, quibus proximum in bonis suis læsisti? fac prius satis

proximo ob damna ei illata, quia nunquam Deus injuriam sibi factam condonabit, si damna proximo illata non resarciat; nunquam peccata dimittet, nisi inique ablata restitutas. Absolutionem dare potest Sacerdos ignarus; sed non absolveris: dicere potest: *Ego te absolvo*: sed absolutionem non recipies, nec remittentur peccata, quia a Deo *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Fateberis, quod si in domo tua haberes concubinam, absolvi non posses, nisi prius eam dimisisses, et si daretur tibi antea absolutio, vana et inutilis esset, adderesque peccatum peccato; eodem modo, inquit Doctor subtilis, ratiocinandum de eo qui aliena detinet: si enim ea restituere possit, et non restituat, absolutio ei data, nulla est, ac novo peccato animam suam foedat (Scotus in 4 Sent. d. 15). « Sicut tenens adulteram, non est capax poenitentiae, sed irrisor; et si talis veniat ad poenitentiam, addit peccatum peccato, ita detinens alienum et voluntate, et facto, dum talis est, non est capax alicuius partis poenitentiae ». Videmus nonnunquam mercatores, qui habent pondus et pondus, mensuram et mensuram: tabelliones, qui testamenta, aliaque publica instrumenta abscondunt: patresfamilias, qui domesticorum et operariorum mercedem retinent, et tamen frequentiter ad poenitentiae Tribunal accedunt. O quales confessiones, vel potius quot sacrilegia! non enim a peccatis absolvuntur, sed in nova incidunt, illi enim sunt absolutionis incapaces, quia non *remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*.

Tanta, tamque stricta est haec obligatio restituendi aliena, ut asserant auctores cum Doctore Angelico, omnem qui aliena retinet, et ea reddere potest, ad eorum restitutionem teneri et necessitate praecepti, et necessitate medii. *Necessitate quidem praecepti*, non solum quia dixit Christus sua cuique reddenda: *reddite quae sunt Caesaris Caesari*; verum etiam quia eodem praecepto, quo prohibuit ne aliena furemur, *non furaberis*, praecepit et aliena restituere; iniqua enim rei alienae detentio, est quasi continuatio furti. *Necessitate etiam medii*, quia restitutio rei alienae est medium absolute necessarium ad salutem, ita ut salvari nequeat quicumque aliena restituere potest, nisi ea restituat: *Cum conservare justitiam sit de necessi-*

*tate salutis, consequens est quod restituere id quod injuste ablatum est, sit de necessitate salutis*. Ita loquitur, ita concludit, ita ratiocinatur Doctor Angelicus, et cum ipso omnes alii Doctores. Quod intelligunt non solum de iis qui aliena rapuerunt, sed etiam de iis qui ad damnum proximo inferendum cooperati sunt, qui nunquam salvabuntur, nec in regnum caelorum intrabunt, nisi restiterint, si restituere possint. Afferit Christus, quod *non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum* (Matth. v); quare non intrabit hic in regnum caelorum? Multae haud dubie adduci possent rationes, at specialem, ac proposito nostro congruam adducit sanctus Vincentius Ferrerius, dicens quod ut quis intret in regnum caelorum, non solum bis, sed ter dicere debeat, Domine, 1. *in corde* per contritionem, 2. *in ore* per confessionem, 3. *in opere* per satisfactionem: quicumque enim aliena injuste detinet, licet de peccatis doleat, ac ea confiteatur, non salvabitur nisi proximo satisfaciatur. O avare, quando audis concionatorem in pulpito tonantem, ac de tremendo Dei iudicio, vel de poenarum aeternitate fortiter disserentem, ponit te peccasse, et de perpetratis peccatis doles, ecce primum *Domine*. Quando advenit festa Paschalia, vel publicatur Jubilaeus, peccata tua confiteris, ecce secundum *Domine*. Sed si salvari velis, oportet dicere tertium *Domine*, scilicet *satisfaciens*, inquit S. Vincentius; oportet proximo, cuius bona detines, satisfacere, si possis; aliter nunquam in eorum intrabis. Postulat a Deo Propheta, qui futuri sint regni caelestis incolae, quique aeterna requie sint gavisuri: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in montesanto tuo?* (Psal. 14). Questionem solvit ipsemet, dicens: *qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam*. Duo, inquit, requiruntur, ut in regnum caelorum ingredi quis possit: primum, ut cujusvis peccati macula sit immunis: *qui ingreditur sine macula*: secundum, ut operetur justitiam, restituendo cuique quae ejus sunt. Cum enim quis aliena rapit, vel inique detinet, evidentem operatur injustitiam: ut ergo salvetur, non solum conscientiam suam ab omnibus peccatis mundare, verum et justitiam operari debet, aliena resti-

tundo: *qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam*. Eandem questionem alibi agit, et solvit regius Vates: postquam enim petiit, quis in regnum cœlorum sit ingressurus: *quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* respondet protinus: *innocens manibus, et mundo corde* (Ps. 23). Quasi dicat, ut quis in cœlum ascendat, non solum cor et conscientiam ab omni scelere mundare tenetur, sed manus suas etiam innoxias habeat necesse est, ita ut aliena non rapuerit, aut restituerit: *innocens manibus et mundo corde*. O Christiane, in conscientia tua latet peccatum grave? in cœlum ingredi nequis: aliena detines, quæ restituere posses, si velles? in cœlum etiam ingredi non potes; quia ad obtinendum regnum cœlorum, absolute requiritur non solum quod e corde tuo omnia tollas peccata, sed etiam quod aliena restituas, si restituere possis.

Hoc sciunt, qui aliena detinent; tamen opinantur, quod ad restitutionem non teneantur: id sibi suadere conantur usurarii, qui dicunt lucra usuraria, quibus arceæ redundant, esse sui juris: id sibi suadent domini temporales, quæ reduntur prædia iniquis vexationibus usurpant: id credunt, vel credere fingunt casidici, qui ut injustas clientum causas defendant, pecuniam, aut munera accipiunt; id suadent sibi tutores, et curatores, qui minorum et pupillorum bona diripiunt; quicumque tandem aliena retinent, rationes fingunt, quibus se ad aliena restituenda non teneri sibi suadeant; hoc et illis persuadere conatur satanas. Sed nemo se seducat: nemo sibi inique et erronee blandiatur, quisque serio discutiat, an ad alicujus rei restitutionem teneatur. Doctorum et piorum consilium quisque postulet, quo habito, aliena generose restituat, ut salvetur: non enim in regnum cœlorum introibit qui aliena non restituerit. Videte, quomodo se gesserit Tobias, qui audiens vocem hœdi belantis in domo, dixit: *Videte, ne forte furtivus sit: reddite eum dominis suis; quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere*. O virum mirabilem, qui nec hædum in domo sua belare passus est quin prius probasset, an esset ex furto; *nolebat sonum furti audire in domo* (S. Aug.).

Probate similiter, an bos qui mugit in prato, sus qui grunnt in stabulo, et volatilia quæ garrunt in domo, sint furto comparata. Probate, an pannus quo operi estis, pecunia quam in arca habetis, hortus, vinea, villa, et alia quæ possidetis, furtiva sint. Si quid autem furto raptum, vel inique detentum inveniritis, *reddite dominis suis*; reddite, ut salvemini; nunquam enim salvaberis qui aliena non restituit, si ea restituere possit. Redde ergo, o avare, redde hanc domum, hunc agrum, hanc pecuniam, et alia quæ viis iniquis acquisivisti: redde ea, alioquin nulla tibi superest spes salutis. *Quin etiam aliena sunt restituenda cito*.

## II PARS.

*Aliena sunt restituenda cito.*

Imprudentes censentur in sæculo, qui cum debita solvere facile possint, ea solvere negligunt, et differunt, quousque a creditoribus obruantur. Sed imprudentiores hand dubie apud Deum Christiani, qui cum aliena reddere possint, eorum restitutionem in futurum facere dimittunt, quia est periculum in mora. Est enim periculum, ne restituendi voluntas mutetur; est periculum, ne gratia restituendi a Deo non detur, et est periculum, ne sine ratione dilata restituito, aut nunquam fiat, aut male fiat. At licet hisce non exponerentur periculis qui aliena restituere differunt: ad prompte restituendum moveri deberent ipsomet restitutionis præcepto, quod negativum est, contentum his verbis: *non fureris*: ac proinde sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita et detinere eam: quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam, *invito domino*, privat eum usu et dispositione rei suæ, et sic facit ei injuriam. Peccas ergo cum aliena restituere tardas, *invito domino*. Dico, *invito domino*: quia si non sit invitus, sed voluntarie et libere consentiat, ut debita non sibi solvantur, tunc non peccas: *volenti enim et consentienti non fit injuria*. Si vero do-

minus sit invitus, et rationabiliter invitus: seu si rem illius reddere moreris, eo rationabiliter invito et nolente, peccas, et damna ei ob talem dilationem causata resarcire teneris. Dixi: *eo rationabiliter invito, et nolente*; quia aliquando, invito domino, licet rem ejus detinere, quando scilicet ille est irrationabiliter invitus, seu quando rationabiliter velle debet eam detineri. Debeo v. g. decem nummos homini prediviti, quos aut solvere mihi est impossibile, aut si solvam, fame peribo, tunc ille rationabiliter velle debet, ut solutionem differam, et si ille in hoc et similibus casibus me eam differre nollet, esset irrationabiliter nolens et invitus: ideo tunc invito domino, seu eo irrationabiliter nolente, possem tuta conscientia, solutionem in futurum differre. Exceptis autem his casibus, restitutionem differre non licet. Hæc est doctrina subtilissimi Doctoris Joannis Duns-Scoti, qui ait, quod non licet aliquo tempore detinere alienum invito domino, id est nolente, et secundum rectam rationem nolle debente, et per consequens, regulariter restitutio est statim facienda, sicut statim cessandum est ab actu cujuscumque peccati mortalis. Hæc est etiam doctrina D. Thomæ, et aliorum Doctorum, fundata in hoc principio, quod, scilicet, præceptum de restitutione est negativum contentum sub hoc præcepto: *non furaberis*. Ac proinde sicut nullo tempore licet rem alienam, rationabiliter invito domino, furari: ita nec ullo tempore domino rationabiliter invito, eam detinere licet; sed statim est restituenda. Hæc est differentia inter præcepta affirmativa et negativa; quod affirmativa obligent semper, sed non pro semper; negativa vero obligent semper et pro semper. Filius v. g. semper parentes venerari debet, quia præcepto honorandi parentes semper ligatur; at illud præceptum non eum obligat pro semper; quia cum præceptum honorandi parentes sit affirmativum, non obligat filios ad honorandum parentes pro semper, seu ad eos semper et singulis momentis honorandos. Aliter disserendum de præceptis negativis; ut enim dicunt omnes Theologi, ea obligant semper et pro semper; quia semper et pro semper, seu singulis momentis ad ea servanda tenemur; et sic v. g. singulis

momentis teneor ad non furandum, non machandum, non occidendum, quia hæc sunt præcepta negativa. Ideaque cum præceptum restituendi, seu non detinendi aliena, rationabiliter invito domino, sit negativum, obligat semper et pro semper, ita ut singulis momentis quisque ad aliena restituenda teneatur, nec possit sine peccato restitutionem, invito domino, differre, si restituere possit. Prohibet Deus, ne quis mercedem mercenariis solvere differat: *Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane* (Lev. 13, 3). Ex quo infert Doctor Angelicus, ergo neque in aliis restitutionibus faciendis potest fieri dilatio: *sed statim restituere oportet*. Non differenda est restitutio usque ad mortem, vel usque ad senectutem, sed *statim restituere oportet*. Et Confessarii poenitentes suos ad statim restituendum compellere debent, si statim restituere possint. Imo Cajetanus cum aliis docet, poenitentem non esse absolvendum prius quam reipsa restituerit, si in alia confessione absolutus, restituere jam semel neglexerit: *Tunc, inquit, dicenti, hac vice, Pater, restitutum vere, responderi debet, credo tibi: et propterea modo in ista bona dispositione vade ad restituendum, et postea absolveris*. Ecce quod facere deberent omnes Confessarii, ut cum Cajetano docet S. Antoninus. Verum ecce quod pauci faciunt, et ideo multi Confessarii, multique poenitentes in magno æternæ salutis discrimine versantur: *isti, quia non prompte restituerunt; illi, quia eos ad prompte restituendum non compulerunt, ac faciliores in dandis absolutionibus extiterunt*. O avare, a tot annis patri spirituali pollicitus es, te redditurum quæ huic viduæ, huic famulo, vel huic civitati furatus es; o hæres inique, a tot mensibus promissisti, te pia legata soluturum, ac justis parentum fato functorum voluntatibus satisfacturum: o usurarie, a tanto tempore protestatus es, te damna reparaturum, quæ huic et illi familie intulisti. Hoc promittunt omnes iniqui alienorum detentores, omnes dicunt; reddam, reddam, et tamen nunquam reddunt; omnes dicunt, *reddam*, et quia se reddituros pollicentur, nonnunquam inveniunt Confessarios plusquam par est faciliores ad impertiendam absolutionem, quo fit ut Confessarii

cum penitentibus, et penitentes cum Confessariis sepe damnentur; cavendum ergo valde ne differatur restitutio, *imo quam citius peragatur.*

O quam multi jam cremantur in inferno, qui dum in hoc mundo viverent, restituere distulerunt, et postea non restituerunt! Quam multi quotidie damnantur, quia nunquam dixerunt reddo, sed reddam, reddam! Cum injustis alienorum detentoribus prædicatur obligatio restituendi, *dicunt*, restituiam mox ut commode potero, et nunquam tempus illud opportunum venit. *Dicunt*: Ego quidem bonis meis dum vixero, frui volo: post mortem vero, testamento meo cuique suam restituiam, ac pauperibus multa distribuam: at plerumque vel testamentum non faciunt, vel in testamento de alienorum restitutione non curant; *dicunt*: restituere nequeo, donec pendenti liti finem fecero, vel donec filius meus nupserit: postquam vero lis terminata est et nuptus filius, de restitutione facienda non cogitant. Quid fiet de huiusmodi viris, qui semper restituere differunt, et nunquam restituant? Hi certe ad tartara in æternum cruciandi trahentur: *Hi ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad penam coronantur* (Minu. Felix in Oct.). Hi in sempiternum cum avaro divite in medio flammarum clamabunt: *Crucior in hac flamma.*

Mirabiliter delineat Spiritus Sanctus, quomodo se gerere soleant, qui ab aliis pecuniam sibi mutuo dari petunt. Primo, inquit, molestos se exhibent, ut precibus importunis eos ad mutuum alliciant: *Multi præstiterunt molestiam his qui se adjuverunt* (Ecl. 29). Secundo, si iteratis precibus eos ad commodandum movere nequeant, iis adulantur ac manus illorum osculantur: *Donec accipiant, osculantur manus dantis.* Tertio et preces fundendo, et manus dantium osculando, crebro pollicentur, brevi se mutuata reddituros: *Et in promissionibus humiliant vocem suam.* Ecce quomodo se habeant plerique, qui pecuniam mutuo sibi dari postulant: at longe aliter se gerunt, cum mutuata reddenda est pecunia; tunc enim qui tam firmiter se cito reddituros promiserant, semper restituere differunt, a creditoribus suis postulantes tempus? *Et tempore*

*restitutionis postulabit tempus.* En quomodo se habere soleant quicumque aliena mutuo acceperunt: ac etiam en quomodo multoties se gerant quicumque aliena injuste detinent. Ut aliena auferant, multis precibus, multis artibus, multisque utuntur fraudibus: cum autem restituendum est, semper differunt, postulantes tempus: *Postulabit tempus.* Ad restituendum sollicitat eos divina gratia, et ipsi *postulant tempus*: stimulat eos conscientia, et ipsi *postulant tempus*: urgent eos Confessarii, et ipsi *postulant tempus*: accedit vidua plorans, suaque sibi restitui petens; et ipsi *postulant tempus*: conqueruntur creditores, quod sibi debita non solvantur, et ipsi *postulant tempus*. Sicque postulando tempus, tempus mortis venit; ac moriuntur antequam restituerint. Quid queso, fiet de his qui semper restituere distulerunt, postulantes tempus: hi certe non solum per aliquod tempus, sed in æternum formidandis inferni tormentis addicentur: ne itaque aliena restituere differatis, eaque quamprimum poteritis, reddite: *insuper aliena sunt restituenda totaliter.*

### III PARS.

#### *Aliena sunt restituenda totaliter.*

Tanta multorum est injustitia, ut cum sibi omnia totaliter reddi velint, ipsi aliis non omnia, sed aliqua tantum, et sæpe nihil restituant. Hi quod sibi fieri volunt, aliis facere renuunt. Jamvero sicut quisque omnia sibi debita reddi vult, ita et aliis omnia reddat necesse est, juxta æquissimam hanc justitiæ, et charitatis legem: *Quod tibi fieri vis, alteri feceris.* Hanc obligationem non solum aliqua, verum et omnia ablata restituendi, docet D. Paulus, dicens: *Reddite omnibus debita* (Rom. 13, 7). Non ait Apostolus, reddite aliquibus, sed *reddite omnibus.* Non ait Doctor Gentium: reddite iis solummodo, quibus solvendis publico instrumento adstricti estis, vel iis qui ad solvendum vos cogere possunt: sed, *reddite omni-*

bus. Reddite huic famulo, et huic ancillæ, qui tanto tempore vobis fideliter inservierunt; reddite huic opifeci, cujus familia ingemiscit, et dira patitur: reddite huic pupillo, et huic viduæ, quorum lacrymæ ad Deum clamant: reddite huic rustico, et huic pauperi, quibus adversum vos litigandi, nec ars, nec facultas inest: omnibus tandem restituite: *Reddite omnibus debita*. Ac ita restituite, subdit D. Paulus: ut nihil ultra cuiquam debeatis: *Nemini quidquam debeatis*. In veteri Testamento hæc a Deo lex posita erat: *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro uno ove* (Exod. 22, 1). Quo edocemur, inquit Guillelmus parisiensis, non solum rem ablatam, sed etiam fructus ex ea perceptos esse restituendos, imo et omnia damna causata esse reparanda. Hoc et docent omnes Theologi, inter quos sic loquitur Doctor subtilis? *Non solum tenetur quis ad restituendam rem ablatam, vel usum rei, sed etiam ad interesse, et fructum conceptum de re, si res erat fructifera*. Ecce quomodo aliena sunt totaliter restituenda. Cum restituisti rem ablatam, aliquid aliud debes, nempe fructus ex re ablata perceptos, si scilicet res ablata erat vel vinea, vel ager, vel alia res de se frugifera. Cum rem ablatam et fructus perceptos restituisti, aliquid aliud debes, nempe reparare damna, quæ proximo causasti, ut tandem præcepto restituendi satisfacias, ita debes totaliter restituere, ut nihil ultra debeas: *Nemini quidquam debeatis*. Seu ita teneris totaliter restituere, ut non solum rem ablatam, et fructus naturales ex re ablata perceptos reddas, sed etiam damna causata resarcias. *Dicis*, dabo aliquid illi cujus rem abstuli, dabo illi partem rei ablatæ, curabo, ut hæredes totam rem ablatam restituant. Dic hæc et alia quæ volueris; dicam tibi semper cum omnibus Theologis, quod si restituere possis, non solum ad rem ablatam, et fructus ejus restituendos teneris, verum et ad damna reparanda. Hæc est restitutio totalis, quæ necessario facienda est.

De nonnullis loquitur Chrysostomus, qui restitutionis præcepto satisfecisse putant, si ex ablatiis aliquid pauperibus de-

derint, vel in pios usus erogarint; *Sunt enim etiam nunc qui alienis direptis, excusatos se a toto crimine putant, si aliquam partem pauperibus dederint*. O quam stulti, qui talia credunt! o quam stolidi qui hujusmodi elemosynas Christo placere arbitrantur! placent quidem Christo elemosynæ quæ ex propriis, at displicent, quæ ex alienis sunt: quia, inquit Chrysostomus: *non vult Christus rapina nutrirî; ingratissima hæc sibi sunt alimenta*. Non placent Christo tales elemosynæ, quas diabolicas, et judaicas vocat idem Chrysostomus. *Judaica hujusmodi elemosyna est, imo diabolica*. Quod non sine gravi fundamento profert os illud aureum; sicut enim Judas, morti proximus, project in templum triginta argenteos, quibus Christum vendiderat, ut in pia opera impenderent, ita et qui aliena abstulerunt, instante morte, nonnunquam aliqua legata pauperibus et Ecclesiis faciunt, credentes sufficienter restituere, si partem rei ablatæ in elemosynas fundant. Christus autem non vult rapina nutrirî, ac Judaicæ sunt hujusmodi elemosynæ; quantum enim fieri potest, res propriis dominis sunt reddendæ, et non solum pars, sed tota res ablata cum fructibus ejus est restituenda, ac etiam damna reparanda.

*Dices*: hæc omnia restituere mihi est impossibile. Certe si hoc tibi sit impossibile, ad omnia restituenda non teneris, quia ad impossibilia nemo tenetur: cave tamen, ne impossibilia dicas, quod tibi difficile est. Scio, quod difficile sit homini avaro bonis se spoliare, quibus diu gavius est difficile est homini in dignitate constituto a statu et conditione sua aliquantulum deflectere; durum est homini convivii assueti frugaliter epulari; durum est mulieri luxui deditæ, modestius indui; hæc autem non sunt impossibilia, hæc fieri possunt et debent, ut aliena omnia quæ detines totaliter restituas. *Dices*, cuique suum reddere optarem, quid vero fiet de liberis, si omnia restituam? nil illis facultatum supererit, et in hospitali summo cum dedecore morientur. Ecce potissimam tentationem, et laqueum, quo diabolus constrictos detinet eos qui aliena rapuerunt, dicit enim eis in corde, quid fiet de primogenito tuo, quem tantis sumptibus educasti? Quid de se-

cundogenito, qui tam subtili pollet ingenio? quid de hoc et illo, qui tot tibi amoris et reverentiæ signa exhibet? quid de hac filia, quæ usque ad miraculum officiosa est et vigilans in omnibus quæ familiæ administrationem spectant? o gravem tentationem! o quam multi aliena non restituant: quia nimium solliciti sunt quid fiet de pueris! Verum si saperent sollicitus quid de seipsis, quam quid de filiis futurum sit recogitarent. *O infelix*, inquit Salvianus, *quid curas de filio superstite, et te ipsum in æternitate negligis? cur tibi potius, quam filiis non succurris? cur animam tuam perdis, ut terram et lutum filiis relinquant? cogitas, quam bene aliis post te vivant, non cogitas, quam male ipse moriaris? o avari, propinqua et coniunctissima pignora sunt vobis filii, sed mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo vobis conjunctior, quam vos ipsi.* Itaque majori cum sollicitudine recogitate, quid de vobis quam quid de filiis futurum sit: magis de vobis, quam de filiis curate. O avaræ, qui ita de filiis sollicitus es; o miser, qui inspirante spiritu tenebrarum, dicis, quid fiet de filiis meis? Vis, ut dicam tibi, quid de illis fiet, et quid facient illi? Certe si aliena restituas, te post mortem tuam laudabunt, dicentque, te ea fecisse, quæ Christiani hominis erant. E contra, si non restituas, tui solummodo recordabuntur quasi hominis in statu peccati mortui, ac quasi hominis reprobi et damnati. Vis adhuc scire quid fiet de pueris? haud dubie de iis fiet, et illi facient quod alii facere solent. Quid faciunt alii, quando patres eorum aliena restituerunt? ipsi pacifice inter se vivunt, et quo temporalium bonorum sunt pauperiores, eo spiritualium ditiores sunt; quando autem patres eorum aliena non restituerunt, ipsi epulantur quotidie splendide, et sæpe dissipant substantiam suam vivendo luxuriose; idem faciunt et filii tui. Vis tandem scire quid post mortem tuam de filiis fiet? Certe si aliena restituas, tuo exemplo ad pie vivendum movebuntur, et saluti suæ invigilabunt. Si autem non restituas, pravo tuo exemplo ad male vivendum allicientur, et ad tartara tecum detrudentur, ubi in æternum te maledictis afficient. Ibi adversum te ora solvent; ibi dicent, et milies repetent: maledictus

pater qui me genuisti, et maledictæ opes, quæ me ad hæc tormenta demerserunt. Non ergo tam sis sollicitus de opibus filiis tuis relinquendis, quam de propria salute. Faciant illi post mortem tuam voluerint; tu autem restitue omnia quæ detines, ut salvari valeas. *Si vis salvari, fac ut serpens: transi per arctum foramen restitutionis usque ad ultimum obulum* (S. Vinc. Dom. 7 post Trin., Conc. 5). Si vis salvari, ita te tuis spolia facultatibus, ut non aliqua solum, sed omnia ablata, simul cum fructibus restituas.

Haud dubium, quid durum tibi sit omnia restituere; ut autem duro huic te subdas jugo, audi formidolosa Spiritus Sancti verba, qui de injusto alienorum possessore ait: *Divitias, quas decoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus* (Job. 20, 15). O avaræ, alienis bonis inhiās, aliena inique detines, eaque propriis dominis restituere renuis; sed tandem aliquando divitias omnes quas devorasti evomes, et de ventre tuo eas Deus extrahet. Aurum, argentum, et omnes divitiæ inique collectæ, sunt cibi venenosi, quos vomet avarus, quosque simul cum omnibus bonis suis relinquet. *Ut enim qui noxium aliquem cibum sumpsit, una cum eo probos etiam evomit: sic qui inique congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed eas etiam quas prius jure possidebat, plerumque amittit* (Nictetas, orat. 5). Postquam Ferdinando II regiones et regna, quæ Princeps Palatinus cum aliis rebellibus devoraverat, famosissima Pragensi victoria restituta sunt, ab aliquo scite typis expressus, et apto celo excusis est Palatinus omnes urbes et provincias quas devorarat, simul cum maligno hæreses veneno quo toxicatæ erant, evomens. Quod autem fecisse Palatinum delineatur, hoc idem faciunt iniqui omnes alienorum possessores: omnia enim aliena veluti venena evomunt; eaque omnia de ventre eorum Deus extrahit. *Divitias, quas decoravit, evomet et de ventre illius extrahat eas Deus.* Dic, queso, o avaræ, quid fiet de bonis quæ tam sollicitè congregasti? auferes tecum aliquam eorum partem, cum morieris? nequaquam: quia *dives cum dormierit, nil secum auferet* (Joh. 27, 29). Aut forte tecum tunc auferes pecuniam



illam, quam in arca clausam tam sollicitè servas? forte vineam illam quam inique possides? nil quidem eorum tecum auferes; omnia in hoc mundo relinques: *Queris pecuniam*, inquit Augustinus, *et relinquenda est: queris vineam, et hic relinquenda est.* Quid tulisti tecum, quando in hunc mundum venisti: tulistine aurum, argentum, et amplissimas possessiones? non. Quid ergo tulisti? nihil. Scito autem, quod sicut nihil attulisti, cum in hunc mundum venisti; ita et nihil auferes, cum ab eo exibis: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possimus* (1. Tim. 7). Itaque cum in morte nil tecum auferre possis, sed omnia sint relinquenda et evomenda, relinque jam et restitue quod tunc relinquendum et restituendum. Si jam ea non restituas, tunc ea restituas et evomes summo cum dolore, et sine fructu: fac ergo jam libere et cum fructu quod tunc necessario et sine ullo fructu faciendum est. Cum in inferno eris, dices: o utinam credidissem his qui mihi restituere suadebant! utinam ante mortem restituisset hunc hortum, hanc vineam, et alia quæ injuste detinebam! utinam omnia aliena simul cum fructibus eorum propriis dominis reddidissem; at vana tunc erunt omnia hæc vota: ergo fac nunc quæ tunc fecisse voles. Studiose animi tui nunc latebras discute, sollicitè scrutare quæ et quibus debes, ac omnia penitus restitue. Si autem bona temporalia in hoc mundo restitueris, æterna in alio impetrabis. Amen.

## CONCIO XV.

DE MERCEDE LABORUM.

*Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum* (Isaïa, 27).

Peccatores plurimos, qui de conversione cogitant, vana specie rigoris, austeritatis, et laborum detertere solet satanas; illorum cordibus nocturnum infigere consuecit timorem, seu

metum quemdam, atque horrorem laborum et difficultatum, quas in via virtutis esse suadet; eoque timore nocturno conversionis illorum initia exagitat et impedit. *Primordia nostræ conversionis primus exagitat timor, quem horror vitæ ingerit arctioris, et insueta austeritas disciplina; is timor nocturnus* (S. Bern. ser. 33 in Cant.). Cum serio mente revolunt peccatores, quanta sit vitæ brevitatis, quanta mortis certitudo, quam formidanda Dei judicia, quamque terribilia inferni supplicia, a peccatis declinare et ad Deum converti desiderant: at cum deinde, inspirante spiritu tenebrarum, imaginarios qui in christiana palestra reperiuntur, labores recogitant, deficit animus, ab incepto proposito deflectunt, ac ad Deum converti negligunt et refugiunt: *Laborum timore deterriti mox refugiunt.* Optarem, aiunt, huic et illi pravo habitu valedicere; vellem ad Deum totaliter converti, peccata omnia in meipso destruere, et virtutem sedulo sectari: sed *labor me terret.* O quot timor ille, ne convertantur, impedit! quam multis vanus hic laborum metus est quasi remora, qua a sectanda perfectiori via retardantur, et arcantur! Ideo ut peccatores ad destruenda peccata, et ad generose suscipiendum laborem quia in via virtutis reperitur alliciam, velim, ut contemplantur magnitudinem præmiorum, quæ Deus his qui pro ipsius gloria laborant, in Paradiso largitur, velim ut exiguitatem laborum cum magnitudine mercedis conferant. Ave.

Eorum, qui pro mundo laborant, merces aliquando nulla, sæpe parva et semper momentanea. Eorum merces aliquando nulla, quia post multos exantillatos labores nullum eis superest emolumentum, suntque similes Apostolis, qui tota nocte laborantes nihil ceperunt. *Per totam noctem laborantes nihil cepimus* (Luc. 5, 5). Eorum merces sæpe parva, nil enim assequuntur, nisi terrenas quasdam opes, vel honores vanos, qui nullius fere sunt momenti, unde de illis vere dici potest, quod plurimum laboraverint, et parum intulerint. *Seminastis multum, et intulistis parum* (Agg. 1, 6). Eorum tandem merces est semper transitoria et momentanea, quia voluptates, honores et omnia quæ iis mundus impertitur, veluti umbra et quasi in momento